

QUŌ MODŌ GUILLHELMĪ DĒ ŪNIVERSĀLIBUS  
SENTENTIAM DĒSTRŪXERIT

<sup>1</sup>Ēlāpsīs autem paucīs annīs, cum ex īnfirmitāte jam dūdum convaluissem, prāceptor meus ille Guillhelmus Parisiacēnsis archidiāconus, habitū prīstinō commūtātō, ad rēgulārium clēricōrum ōrdinem sē convertit — eā, ut referēbant, intentiōne : ut, quō religiōsior crēderētur, ad mājōris praelātiōnis gradum prōmōvērētur. <sup>2</sup>Sicut in proximō contigit — eō Catalaunēnsī<sup>a</sup> episcopō factō. <sup>3</sup>Nec tamen hic sūæ conversiōnis habitus aut ab urbe Parīsius aut ā cōsuetō philosophiæ studiō revocāvit. <sup>4</sup>Sed in ipsō quoque monastēriō, ad quod sē causā religiōnis contulerat, statim mōre solitō pūblicās exercuit scolās.

<sup>1</sup>Tum ego ad eum reversus ut ab ipsō rhētoricam audīrem, inter cētera disputātiōnum nostrārum cōnāmina, antīquam ējus dē ūniversālibus sententiam, patentissimīs argūmentōrum ratiōnibus, ipsum commūtāre — immō dēstruere compulī. <sup>2</sup>Erat autem in eā sententiā dē commūnitāte ūniversālium : ut eadem essentiāliter rem tōtam simul singulīs suis inesse astrueret indīviduis, quōrum quidem nūlla esset in essentiā dīversitās sed sōlā multitūdine accidentium varietās. <sup>3</sup>Sic autem istam tunc suam corrēxit sententiam : ut deinceps rem eadem nōn essentiāliter sed indifferenter dīceret. <sup>4</sup>Et quoniam dē ūniversālibus in hōc ipsō prācipua semper est apud dialēticōs quæstiō, ac tanta, ut eam Porphirius quoque, in Ysogogīs suis cum dē ūniversālibus scriberet, dēfinīre nōn præsūmeret, dīcēns « Altissimum enim est hūjusmodī negōtium », cum hanc ille corrēxerit — immō coactus dīmiserit sententiam, in tantam lēctiō ējus dēvolūta est negligentiam, ut jam ad cētera dialecticæ vix admitterētur, quasi in hāc scīlicet dē ūniversālibus sententiā tōta hūjus artis cōnsisteret summa.

<sup>1</sup>Hinc tantum rōboris et auctōritātis nostra suscepit disciplīna, ut hī quī antea vehementius magistrō illī nostrō adhærēbant et maximē nostram infestābant doctrīnam, ad nostrās convolārent scolās ; et ipse quī in scolīs Parisiacæ sēdis magistrō successerat nostrō locum mihi suum offerret, ut

---

a. *Catalaunēnsis* = de Châlons

ibīdem cum cēterīs nostrō sē trāderet magisteriō, ubi antea suus ille et noster magister flōruerat. <sup>2</sup>Paucīs itaque diēbus ibi mē dialecticæ studium regente, quantā invidiā tībēscere, quantō dolōre æstuāre cēperit magister noster nōn est facile exprimere. <sup>3</sup>Nec conceptæ miseræ æstum diū sustinēns, callidē aggressus est mē tunc etiam removēre. <sup>4</sup>Et quia in mē quid apertē ageret nōn habēbat, eī scolās auferre mōlītus est, pessimīs objectīs crīminibus, quī mihi suum concesserat magisterium — aliō quōdam emulō meō ad officium ējus substitūtō.

EX ABÆLARDI (1079-1142) *HISTORIĀ CALAMITĀTUM*